



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiæ Romanæ**

**Plettenberg, Hunold**

**Hildesii, 1693**

Art. 2. Forma recipiendi denunciationem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](#)

Scripturis iuramentum præstitisse. *Pegna prax. inquiſ. l. 2. c. 1.*

4. Deinde Denuntiatori præligi debet Denunciatio sicut scripta est, cui Denunciator etiam subscribere se debet, & præcipitur ei servare secretum illius, quod denunciavit. Demum fidem facere debet Notarius de lectura Denunciationis Denunciatori facta, de ejusdem Subscriptione, de Additione, Detractione, seu Mutatione, si quæ facta fuerit. *Pegna l. c.*

## ARTICULUS II.

### Forma recipiendi Denunciationem.

1. *Formula Denunciationis,*
2. *De quibus Denunciator interrogatur.*

#### I.

**F**ormula Denunciationis in foro præsenti hæc communiter recepta est:  
*Die --- Mensis --- Anni --- comparuit sponte personaliter in tali Inquisitione coram R. P. Fr. N. Ordinis Predicatorum sacrae Theologiae Lectore vel Magi-*

Magistro, in mei quam Notarii præsentia N.  
Filius N. de tali loco, etatis suæ Anno cir-  
citer --- talis, & talis conditionis,  
qui medio ejus juramento tactis Sacro-  
sanctis Scripturis præstito exposuit, ut  
infra. Vid. &c. Et scribatur ejus De-  
nunciatio, seu Testificatio.

2. Deinde Inquisitor vel ejus Vica-  
rius in Auditorio Notario omnia exci-  
piente Denunciatorem interrogabit de  
his:

Si non sit notus, de nomine, cognos-  
tione, patria, exercitio & ubi habitet.

A quanto tempore cognoverit, quod  
denuntiavit.

Quæ fuerit causa cognitionis. De hac  
diligenter inquirendum, inde enim pen-  
det pondus testimonii.

An aliquando ex verbis, vel factis ob-  
servaverit denunciatum esse suspectum  
in his, quæ ad fidem pertinent.

Quoties viderit N. fecisse, vel dixisse  
illa, propter quæ visus sibi fuit Hæreti-  
cus, vel de hæresi suspectus.

Quo tempore, & quibus præsentia-  
bus prædictus N. fecerit, vel dixerit il-  
la, de quibus fuit denunciatus.

An sciat N. in prædictis delictis ha-  
buisse

buisse complices , vel scripturas pertinentes ad delicta denunciata,

Ad quem finem & effectum prædicta fuerint facta vel dicta à prædicto N. & an serio , aut joco N. talia dixerit.

Si denuncians distulerit longo tempore accedere ad S. Officium , quærendum est , cur non ante denunciarit , præsttim si sciverit ex omissione incurrere in pœnam excommunicationis.

An sciat aliquid aliud de N. vel de alia persona , quod concernat sanctum Officium.

An aliquando habuerit causam odii vel inimicitiae cum prædicto N. & unde processerit.

Quo zelo , & qua intentione ad sanctum Officium & ad denunciandum accesserit.

An aliqua animi passione , mala voluntate , vel alio , vel subordinatione inductus denunciaverit , & monebitur ut dicat ingenuè veritatem.

Poterunt quoque fieri aliæ prudentes interrogations , ut veritas clarius elucescat.

Quicquid autem ad singulas interrogations denunciator responderit , Notarius fideliter describet per extensum , &

& omnibus tandem peractis concludetur sic:

*Quibus habitis fuit dimissus, &  
jussus in virtute prestiti juramenti ser-  
vare silentium, & injunctum, ut se  
subscribat.*

### ARTICULUS III.

An per literas fieri possit Denun-  
ciatio.

1. Per scripturam ordinariè non deponunt testes,  
*nisi in quibusdam casibus.*
2. Quis primus sit casus.
3. Quis secundus.
4. Quis tertius.
5. & 6. Quid Inquisitoribus observandum, si  
*absentes denuncient.*
7. Quomodo Monialis, vel Puella Nobilis de-  
nuntiet.
8. Formula accipiendi Denunciationem Mo-  
nialis.

#### I.

*L*cet testes non possint ordinarie de-  
ponere per scripturam, sed ore pro-  
prio testificare teneantur. c. Testes 3. q. 9.  
In quibusdam tamen casibus potest ab-

R r 3

sens